

Rupertus Abbas Tuitiensis Commentarios maxime allegoricos. Richardus Victorinus Epitomen. Petrus Cantor Commentarios, quos Glossam scholasticam dicunt.

SEC. XIII. Aben Ezra Commentarios in V. T. Alexander Hallensis Postillam scholasticam. Hugo de S. Charo Card. Commentarios et Concordantias Biblicas. Petrus Berthorius O. S. B. Reductorium, Repertorium, Inductorium et Breviarium Biblicum. Thomas Aquinas Catenam Auream et Lectiones in N. T. Ægidius Archiep. Bituricensis Explanaciones.

SEC. XIV. Alanus Insulensis Oculum h. e. Compendium sacra Scripturæ. Petrus Verberius Card. Breviarium Bibl. Nicolaus de Lyra O. S. F. Commentarios breves, quos Postillas vocant. Franciscus Maronius Postillas Annotationum. Augustinus An-
coras O. Erem. Libros Postillares. Petrus Paludanus Postillam. David Kimchi et Levi Gersonides Commentarios in V. T. Joannes Bacco Commentarios in N. T. Sertorius Fontanerius Archiep. Ravennatensis Explanaciones. Joannes O. S. B. Breviarium Bibl. Nicolaus Gorranus O. Præd. Commentarios breves.

SEC. XV. Jacobus Magnus O. Erem. Annotationes. Petrus Joannis O. S. F. Postillas. Bartholomæus Urbinas O. Erem. Explanaciones ex sententiis S. Augustini decerpitas. Dionysius Carthusianus Commentarios. Bernardinus Abbas Camaldulensis Opus An-
notationum.

SEC. XVI. Felix Praefensis Biblia Rabbinica, h. e. cum Commentariis Rabbinorum in V. T. Augustinus Ep. Nebiensus Annotations in Octaplis ad V. T. Franciscus Titelmanus Elucidationes Paraphrasticas in N. T. SEBASTIANUS MUNSTERUS Annotations. CONRADUS PELLICANUS Commentarios. Nicolaus Tacitus O. S. F. Castigationes et Scholia in N. T. Isidorus Clarius Ep. Fulginatensis Scholia. MICHAEL VILLANOYANUS, h. e. SERVETUS Annotations. Joannes Gagnæus Scholia in N. T. Nephtali Ben-Aser Commentarios in V. T. Joannes Benedictus Scholia. Sextus Senensis O. Præd. Bibliothecam sacram, Questiones et Homiliae. Lovanienses Doctores Annotations in Bibliis Antuerpiensibus. Franciscus Vatablus Annotations Salmantica impressas. Emmanuel Sa. S. J. Annotations. Alphonsus Salmeron S. J. Commentarios.

SEC. XVII. JOANNES DRUJIUS Observationes, Lectiones, Commentarios et Animadver-
siones. JOANNES PISCATOR Commentarios. Nicolaus Serarius S. J. Prolegomena et
Commentarios. Franciscus Lucas, cogn. Brugensis, Annotations, Commentarios, Notas. Joannes Mariana S. J. Scholia seu Notas breves. Franciscus Harœus Scholia et Catenam. Jacobus Gordonus S. J., Jacobus Tirinus S. J., et Cornelius a Lapide S. J. Commentarios. LUDOVICUS de DIEU Commentarium et Animadversiones. Joannes Menochius S. J. Explicationem brevem sensus litteralis. JOANNES LIGHTFOOT Harmoniam, Animadversiones et Commentarios. Antonius Vitré Notas. Antonius Escobar de Mendoza S. J. Commentarios. HUGO GROTIUS Notas. MATTHEUS POLUS Synopsin Criticorum, Interpretum et Commentatorum sacrae Scripturæ. Joannes de Silveira Carm. Commentarios in N. T.

SEC. XVIII. Joannes Baptista du Hamel Notas. JOANNES CLERICUS Commentarios et animadversiones. Michael Mauduit, Presb. Orat. Analysis in N. T. Augustinus Calmet O. S. B. Commentarium Litterale, Dissertationes et Dictionarium Biblicum. Natalis Alexander O. Præd. Commentarium in N. T. Petr. Lallemant S. J. Observations et Notas in N. T. Cæsar Calinus S. J. Tractatum Historicum, Chronologicum V. et N. Testamenti. Præsides Sodalitatis Bambergensis Libellis Xenialibus Explicationem et Paraphrasin.

48. *Observa.* Que hactenus de adjumentis ad sacram Scripturam intelligendam et interpretandam adduximus, confirmata et amplius deducta invenire licet partim in S. Augustini libris de Christiana Doctrina et Consensu Evangelistarum, atque Psalmorum explanationibus; partim in Biblioteca sacra Sixti Senensis, Prolegomenis Serarii, ac de la Raye et Waltoni in Scripturam, nec non Tractatu Mabillonii de Studiis Monasticis, et Calmeti premissa Dictionario Bibliotheca: in qua postrema, qui Interpretes singulares in singulos Scripturæ libros desiderat, adornatum eorum catalogum habet.

ARTICULUS VI.

An lectio sacrae Scripturæ in lingua vulgari omnibus passim sit licita?

49. *Nota.* Catholicorum nemo est qui neget Scripturam sacram esse librum cuius lectio in sese sancta sit et utilis; queque omnibus proinde hominibus, cujuscumque etatis, sexus et conditionis, per se loquendo, non tantum permitti, sed etiam suaderi proponique possit. Ex quo factum est, ut multiplex Bibliorum in linguas vernaculaς versio præstantissimis Episcopis ipsis vel auctoribus vel suffragatoribus primum susciperetur. Posterioribus tamen seculis abusus rem quantumvis optimam in vitium et noxam vertit; eo quod vel hæretici ad tuendos suos errores, corruptas versiones vulgares per malitiam legentibus obtruderent, vel lectores minus aut prave dispositi-
sive per ignorantiam, sive per temeritatem, sive per superbiam, ex traductionibus quantumlibet integris errores tum fidei tum morum haurirent.

Occursuri huic malo Patres a TRIDENTINO Sess. 18. an. 1562. die 26. febr. celebrata, ad Indicem librorum prohibitorum concinnandum deputati, inter regulas quas adjunxerant huic operi sibi demandato, et teste decreto Sess. 25 an. 1563. die 3. et 4. decembr. celebrate, Concilio obtulerant, scripse-
runt hanc ordine quartam: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Bi-
blia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob homi-
num temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri; hac in parte judicio
Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessorii,
Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis con-
cedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed
fidei atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis
habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumperit,
nisi prius Biblii Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non
possit. Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habentes, Biblia idio-
mate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, libro-
rum pretium, in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant; aliisque
pœnis pro delicti qualitate, ejusdem Episcopi arbitrio, subjaceant. Regulares
vero, nonnisi facultate a Prelatis suis habita, ea legere aut emere possint.*

Haec constitutio quam contrarie opponebatur hæreticorum tum temporis doctrine, praxi ac intentioni, tam acerbas et atroces eorum oppugnationes concitat: quarum exempla videre licet in CALVINI Commentariis ad Isa. C. 48. et ad ep. I. Petri, in BRENTII Confess. Wittenberg. de S. Script., in KEMMII Examine Cone. Trid., in GOMARI, CHAMIERII, aliorumque operibus. QUESNEL-
LUS sicut eosdem in obtrudenda lectoribus versione corrupta est imitatus, sic et eorum armis sua sociavit in propositionibus, quarum in Bulla Unigenitus damnatarum hic ordo est et tenor. Prop. 79. *Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi, studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria sacrae Scripturæ.* 80. *Lectio sacrae Scripturæ est pro omnibus.* 81. *Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipso ab ejus lectione.* 82. *Dies dominicus a christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia, sanctarum Scripturarum, Damnosum est, velle christianum ab hac lectione retrahere.* 83. *Est illusio sibi persuadere,*

quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt hereses. 84. Abripere e christianorum manibus Novum Testamentum, seu illud illis clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

Ex hisce apparet, dogma Novatorum circa lectionem sacrae Scripturæ in lingua vulgari his tribus contineri: 1. Lectionem sacrae Scripturæ ad salutem infidelibus esse necessariam. 2. Non dari rationes justas et prudentes, quæ impeditant, quominus lectio Scripturæ omnibus, sine ulla aut personarum legentium aut librorum legendorum exceptione, passim concedatur. 3. Prohibitionem ab Ecclesia factam circa lectionem Scripturæ in lingua vulgari non esse legitimam, nec ullam proinde inducere obligationem. Ad normam harum propositionum theses nostras asserendo, quid circa questionem articuli sentiamus, exponemus.

50. *Dico I.* Lectio Scripturæ sacrae non est omnibus, ac proin nec in vulgari lingua, ad salutem necessaria. *Prob.* Quod est necessarium ad salutem, vel ad electionem agendorum, vel ad rationem suscipiendorum, scilicet Sacramentorum, requiritur: sed ad istorum nullum lectio sacrae Scripturæ absolute requiritur; tum quia hæc omnia haberi possunt ex concionibus, catechesibus, aliisque institutionibus, sive voce, sive scripto communicatis: tum quia universim Apostolis Matth. 28. v. 19. et 20. mandatur horum prædicatio, non scriptio; cui auditio, non lectio, respondet: tum quia singillatim ad Rom. 10. v. 17. scribitur: ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Ergo.

Conf. I. Quod fuit et est pluribus impossibile, non potest passim omnibus esse necessarium ad salutem; sed lectio sacrae Scripturæ fuit omnibus et est pluribus impossibilis. Fuit enim impossibilis omnibus a mundi exordio usque ad tempora Mosis, qui initium scribendi libros divinos fecit: fuit impossibilis gentibus præter Judæos reliquis usque ad tempora Ptolomæi, quibus versio Scripturæ græca prodit: fuit impossibilis ipsis etiam Judæis tum ob exemplarium raritatem, tum ob linguæ post captivitatem vulgaris differentiam ab idiomate sacro originario: fuit impossibilis Christianæ Ecclesie, quæ primis temporibus aut caruit Evangelio, aut pluribus in regionibus vernacula illius versione: fuit et est etiamnum impossibilis tum cæcis, tum legendi ignarisi, tum libros vel comparandi facultate, vel legendi otio, vel intelligendi copia destitutis. Ergo.

Conf. II. Ubi nullum extat præceptum, nec adest naturæ debitum, nec urget observantia et usus, ibi nulla potest esse necessitas: sed imprimis præceptum sive naturale sive positivum, legendæ Scripturæ necessitatem imponens tam parum assignari potest, quam parum viget obligatio aut traducendi Scripturam, aut illam emendi vel habendi, aut litteras discendi: quæ triplex tamen obligatio ad illud qualecumque præceptum sequeretur. Dein debitum ex natura rei proveniens nullum esse tum probat ratio primo allata, tum auctoritas AUGUSTINI L. 1. de doctr. Christ. C. 39. scribentis: *Homo itaque fide, spe, et charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos:* Usum denique nihil urgere demonstratum idem ibidem pergens: *Itaque multi per hæc tria in solitudine sine codi-*

cibus vivunt; tum IRENÆUS L. III. ady. haeres. C. 4. scribens: *Quid autem, si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderant iis quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentient multæ gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine chartere vel atramento scriptam habentes in cordibus suis per spiritum salutem, et veterem traditionem custodientes.* Idem etiamnum obtinet in regionibus Americanis, ubi fideles et neophyti sancte vivunt, sine facta Bibliorum in idioma patrum versione: etiam in plurimis Europæ provinciis, Italia maxime, Hispania et Germania; quibus quamvis versiones vulgares non desint, pluribus tamen earum incolis aut nullus aut rarus usus est lectionis Scripturæ: quin et Novatorum lectio ad Novum Testamentum vel unice vel præcipue refertur; non item ad Vetus, quantumlibet veritates etiam divinas complectens.

51. *Dico II.* Dantur rationes justæ et prudentes, cur lectio Scripturæ sacrae non permittatur passim omnibus. *Prob.* Inutilitas, insolentia et periculum in usu rei sunt rationes justæ et prudentes, ne permittatur rei usus passim omnibus: sed tria hæc occurunt in lectione Scripturæ, si passim omnibus permittantur: ergo.

Prob. min. quoad *primum*. Lectio Scripturæ est illis inutilis, qui aut non perspiciunt sensum, aut distrahabuntur in sensu oppositos, aut nudo verborum cortici adhærent, nucleo mysterii aut doctrine neglecto; sed si passim lectio Scripturæ permittatur omnibus, hoc evenit pluribus, fœminis nempe, rudibus, aliisque scientiarum altiorum ignaris, partim ob Scripturæ obscuritatem, antilogias et difficultatem, partim ob defectum facultatis intelligendi, componendi et discernendi in legentibus: ergo.

Quoad *secundum*. Insolens est quod aut in nulla disciplina alia et vitæ genere fit, aut contrariatur ordini recte constituto; sed si lectio Scripturæ passim permittatur omnibus, imprimis conceditur profanis et inexpertis tractare sacra, quod tamen negatum est hujusmodi a gentilibus, et in nulla alia disciplina aut vitæ genere usu venit, ut testatur HIER. in ep. ad Paulinum: *Quæ sunt medicorum, promittunt medici; tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant: deinde turbatur discendi ordo qui 1 ad Cor. 14. v. 34. pro fœminis, ad Hebr. 3. v. 12; et seqq. pro rudibus, Malach. 2. v. 7. pro omnibus, non per lectionem sed doctrine auditionem divinitus est constitutus: ergo.*

Quoad *tertium*. Ubi ex parte legentium præter imperitiam est curiositas, temeritas, aut superbia; ex parte libri legendi autem, præter ambiguam, figuratam et peregrinæ grammaticæ propriam scriptiōnem, argumentum habet vel altissima mysteria, vel recondita maxime vaticinia, vel principia et exempla mala æque ac bona; ibi periculum est præsens vel errandi in materia fidei et morum, vel impugnandi veritatem et honestatem, vel contemnendi res sacras aut ad profana convertendi: sed si passim omnibus permittatur lectio Scripturæ, habentur pleraque memorata tam ex parte legentium, quam illa omnia adsunt ex parte librorum legendorum: ergo non abest periculum.

Conf. Frequens abusus rei, aut usus cum eventu malo, rationabile fundatum præbet, cur res illa, licet ex se bona et alias utilis, non permittatur saltem passim omnibus; cum ex Scriptura, de serpente æneo, et ex historia Ecclesiastica, de Agape aliisque ritibus olim familiaribus constet, ob similem causam usum plane fuisse sublatum: sed lectionis Scripturæ imperitis concessæ frequens fuit abusus aut usus cum eventu malo; ut patet experientia tum primorum temporum, de qua testatur S. PETRUS ep. II. C. 3. v. 16: *In quibus, PAULI epistolis, sunt quedam difficultia intellectu; que indocti et instabiles depravant, sicut et coeteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem;* tum sequentium, quibus Anthropomorphitarum, Millenariorum, Circumcellionum, Euchitarum, aliorumque hereses ortæ sunt ex imperitia sensus et littera occidente; tum posteriorum, quibus Albigenses, Waldenses, Beguardi, Wicleffistæ, Hussitæ, Lutherani, Calvinistaræ in sectas et errores absurdissimos, impellente spiritu privato ex lectione Scripturæ omnibus permissa hausto, abierunt: unde Hilarius L. ult. de Synodis, ex Scriptura nou intellecta omnes hereses prognatas dixit, et Lutherus ipse in Symp. de Sectar. Scripturam vocavit librum hæreticorum: ergo extat rationabile fundatum ne lectio Scripturæ passim permittatur omnibus.

52. *Dico III.* Regula quarta Indicis, lectionem sacrae Scripturæ, non quidem absolute prohibens, sed nonnisi sub certis conditionibus permittens, est lex legitime lata, qua stante, non est omnibus promiscue licitum legere Scripturam in lingua vulgari.

Pars I^a prob. Regula hæc habet omnes legis legitime latæ conditions, cum de subjecto, forma et fine non sit controversia; de materia autem, causa et auctore ex dictis pateat. Nam materia seu lectio Scripturæ non est necessaria omnibus, ut (num. 30.) probatum est: causæ etiam juste et prudentes adsunt, ut (num. 31.) est ostensum, atque in ipsa regula declaratum: auctor vel est Concilium Tridentinum, ut multi cum diversis Episcopis, editoribus Indicis, et Sorbona an. 1567. versionem Renati Benedicti gallicam censurante, asserunt; vel Pius IV. Summus Pontifex; uterque autem est supremus magistratus et legislator: ergo.

Conf. I. Regula a pluribus Summis Pontificibus et Episcoporum Conciliis tum preformata tum confirmata est lex legitime lata; sed imprimis hæc regula ab illis est preformata: nam GREGOR. VII. in ep. ad ducem Bohemorum rationem reddens cur nollet divina officia Sclavonice celebrari, scribit: *Ex hoc sæpe volventibus liquet, non immerito sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret et pateret despectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret.* INNOCENTIUS III. in ep. ad Metenses qui Scripturam gallice verti curaverant data, aliquas quidem ejus parfes minus difficiles legendas illis permittit, de aliis autem sic enuntiat: *Arcana fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non possint passim ab omnibus intelligi, sed eis tantum qui ea possint fideli concipere intellectu.* Propter quod simplicioribus inquit Apostolus, quasi parvulis in Christo lac potum dedi cibis, non escam: majorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat: *sapieniam loquimur inter perfectos: inter vos autem nihil judicavi me scire nisi J. C. et hunc crucifixum.* Tanta est enim scripturæ profunditas, ut non solum

simplices et illitterati, sed etiam prudentes et docti, non plene sufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura: *quia multi defecrunt scrutantes scrutinio.* Unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia, que montem tetigisset, lapidaretur; ne videlicet simplex aliquis et indoctus præsumat ad sublimitatem sacrae Scripturæ pertingere. Conc. TOLOSANUM tum an. 1129. can. 12., tum an. 1229. celebratum can. 14. prescribit: *Prohibemus autem ne libros veteris Testamenti aut novi permittantur laici habere; nisi forte Psalterium vel Breviarium pro divinis officiis, aut Horas beate Marie aliquis ex devotione habere velit.* Sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos, arctissime inhibemus. OXONIENSE an. 1408. celebratum cap. 7. sic ait: *Statuimus et ordinamus, ut nemo deinceps aliquem textum Scripturæ sacrae auctoritate sua in linguam anglicam vel aliam transferat, per viam libri, libelli aut tractatus; nec legatur aliquis hujusmodi liber, libellus aut tractatus, jam noviter tempore Joannis Wiceloff, sive citra compositus, aut in posterum componendus, in parte vel in toto, publice vel occulte, sub majoris excommunicationis pœna.*

Dein eamdem regulam confirmarunt tum Summi Pontifices SIXTUS V et CLEMENS VIII, addita circa regulam 4^{am} observatione; et succedentes ex ordine Pontifices fere omnes, qui Indicem cum suis regulis recudi augerique jussuerunt; tum frequentia in Italia, Belgio et Gallia concilia, quorum specimen ex qualibet regione unum subjicio. MEDOLANENSE III. sub S. Carolo Borromæo an. 1573. hæc habet: *De Bibliis autem vulgariter redditis et de Testamento novo in vulgarem etiam linguam converso... ea diligens cautio adhibeat, ut illius usus iis tantum concedatur, quibus Episcopus permittendum judicaverit.* CAMERACENSE an. 1586. habitum Tit. i. c. 4. statuit: *Non permittantur cuivis de populo libri sacrae Scripturæ lingua vernacula, nisi de licentia Episcoporum aut deputatorum ab eis.* NARBONENSE an. 1609. celebratum cap. 8. decernit: *Biblia vero sacra idiomate gallico conscripta legere aut domi retinere nemini liceat, nisi ab Episcopo aut ejus vicario generali in scriptis obtenta licentia.* His accesserunt comitia generalia Cleri Gallicani an. 1661. congregata, quorum jussu edita etiam hoc anno fuit *Collectio quorundam gravium auctorum, qui ex professo vel ex occasione, sacrae Scripturæ aut divinorum officiorum in vulgarem linguam translationem damnarunt, una cum decretis Summi Pontificis et Cleri Gallicani, ejus epistolis, Sorbonæ censuris ac supremi Parisiensis senatus placitis: ergo.*

Conf. II. Circa quod datur lex naturalis vetans, verbum Dei improbans, et auctoritas Patrum adversa, circa id œconomia legis Ecclesiastica certas conditions præscribens est justa et legitima: sed circa Scripturam imprimis datur lex naturalis vetans, ne scilicet eam legit minus aut male dispositus, aut quilibet quamlibet Scripturæ partem, ut ipsi Quesnellistæ tribuunt: tum extat verbum divinum improbans, scilicet Matth. 7. v. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos;* et I. ad Tim. 4. v. 7. *Quidam volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant;* ac. 2. Petr. 3. v. 16. (num. 31.) recitatus.

Demum auctoritas adversatur PATRUM, vel negantium necessariam Scripturæ lectionem, quales sunt Tertull. L. 2. de Præscript. c. 14. Clem. Alex. L. 3. Pædag. c. 11., Hieron. L. 1. cont. Pelag., Aug. ep. 102. ad Evodium, cum aliis (num. 30.) laudatis; vel notantium lectionem minus convenire omni-

bus, quales sunt Clem. Alex. L. 2. Strom., Origen. hom. 27. in Num., Basil. ap. Theodoret. L. 4. hist. Eccl. c. 17., Greg. Naz. Serm. 1. de Theol., Hier. in Com. ad c. 3. Nahum., Chrys. hom. 16. ad Genes., Aug. L. de util. cred. c. 2.; vel asserentium lectionem quibusdam nocere, quales sunt: Orig. in prol. ad Cantic., Basil. in Reg. brev. q. 96., Ambros. L. 4. in Ev. Luc. Hier., in prol. ad Ezech., Aug. L. 2. de doct. Christ. c. 6. et 13., Greg. M. præf. in Cant.; vel exigentium singulares ad lectionem conditiones, quales sunt: Athan. L. de Incarn. circa fin., Chrys. ad c. 1. Matth., Aug. cont. Adamant. c. 3. et L. 1. cont. advers. leg. c. 13., Bernard. Serm. 1. in Cantica. Ergo.

Pars. 2^a. Sequitur ex notione legis prohibentis, quæ libertatem agendiligat, et omittendi necessitatem imponit. Dixi autem: *qua stante;* quia pluribus videtur, multis in provinciis hanc regulam vel ab initio nequidem receptam vel consuetudine contraria penitus abrogatam, aut saltem quoad poenas et modum concessionis derogatam. An et quidnam hujus rei singulis provinciis conveniat, ex eorum practicis et scriptoribus intelligendum est. Quod Germaniam attinet SERARIUS in proleg. Bibl. c. 20. q. 3. prop. 3. sic loquitur: *Id in nostra Germania videmus, ubi non modo non improbat Episcopi, Parochi, Confessarii, si quis Eckii aut Dietenbergii, nulla diserte petita facultate, legat; sed probant et laudent maxime, quasi jam facultas ea communis sit, neque paenam infligunt ullam; prout quotidiana docet experientia, et satis significat Bellarmini propugnator.* Layman in Compedit. L. 2. Tr. 1. c. 15. notat: *Regula 4^a prohibentur Biblia vulgari idiomate: sed non est recepta in Germania; cuius ratio in Theol. Mor. ibidem num. 8. datur haec: cum nemo sit, qui cum auctoritate deducat in observationem.*

Ad hos et Tannerum provocant Gobat in clyp. num. 317. La Croix L. 7. num. 374., Sporer Tr. 2. in 1. præc. Dec. c. 3. append. §. 4. legentesque versionem catholicam a peccato contra Ecclesiasticam legem absolvunt. Num vero consuetudo hujusmodi omnino sit munita debitis conditionibus, an habenda pro corruptela, illis judicandum relinquimus, quorum interest accurate demandatum pro animabus rationem reddere. Certe consuetudini huic minime faveat tum observatio a CLEMENTE VIII regulae quartæ adjecta, quam legere est in libro Indicis librorum prohibitorum; tum Breve INNOCENTII XII responsionis loco ad Episcopos Belgas de usu legendi Scripturam lingua vulgari editam invalescente questos, cuius an. 1696. die 28. nov. dati haec verba leguntur: *Quod attinet ad libros sacrae Scripturæ idiomate vulgari tractos et alias prohibitos, patent Constitutiones Prædecessorum nostrorum, et potissimum felic. record. Pii IV. a quibus satis superque abusibus providetur.*

Objectiones.

53. *Objic.* Lectionem Scripturæ omnibus esse concedendam, ipsa Scriptura declarat: ergo. *Prob. Ant.* 1º enim fert mandatum legendi Scripturam, Jos. 1. v. 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus et noctibus,* Deuter. 17. v. 18. Describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine... et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vita suæ. Deuter. 31. v. 10. et seq. *Præcepitque ei dicens...* Leges verba legis hujus coram omni Israel audientibus eis, et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus etc. Deuter. 32. v. 46. Ponite corda vestra in omnia verba,

qua ego testificor vobis hodie, ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere et implere universa, quæ scripta sunt legis hujus.

2º Refert consuetudinem legendi Scripturam, Act. 13. v. 27. *Voces Propheetarum, quæ per omne sabbatum leguntur; et c. 15. v. 21. Moses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Item Esdr. 2. c. 8. v. 1. *Legerunt in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum, et intellexerunt, cum legeretur.*

3º Laudat usum lectionis exercitatum in Esdra, L. 1. Esdr. 7. v. 10. *Esdras paravit cor suum, ut investigaret legem Domini;* in Eunicho, de quo Act. 8. v. 28. legitur: *Revertébatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam;* in Timotheo, de quo 2º ad Tim. 3. v. 15. scribitur: *Quia ab infancia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem.* Ergo.

R. ad Arg. N. A. Ad prob. 1. D. Fert mandatum pro legenda Scriptura omni et in idioma vulgare versa, N. pro Scripturæ in lingua originaria parte aliqua planiore, ad mores et officia propria pertinente, Subd. fert mandatum speciale pro personis singularibus et capacibus, C. promiscue pro omnibus, N. Patet distinctio ex textibus allatis. Eorum duo priores agunt de rebus ad regendam rem publicam pertinentibus, et 1^{us} ad Josue Judicem, 2^{us} ad reges Hebræorum dirigitur: duo posteriores pertinent quidem ad populum; non tamen agunt de mysteriis captum vulgi superantibus, sed de præceptis moralibus communi vitae accommodatis; neque etiam legi a populo Scripturam, sed prælegi a Levitis jubent: aliud autem est ab ipso populo privatim legi, et temere propria industria explicari; aliud a Doctore prælegi, et si quid minus perspicuum occurrat, apta interpretatione exponi.

Ad 2. D. Refert consuetudinem legendi Scripturam coram populo præsente, a Sacerdotibus eam interpretantibus usurpatam, C. ab ipso populo Scripturam legente exercitam, N. Quod in Actis refertur, idem fere fit nostris temporibus, ubi lecta a concionatore Scripturæ parte, interpretatio cum exhortatione subjicitur; quin tamen ullus inde colligat, legi a singulis Scripturam. Idem de Esdra loco testatur contextus; ubi et Esdras Levitis et Levitæ populo interpretati verba legis leguntur; nullibi autem scribitur, populum ipsum manibus versasse Scripturas et legisse.

Ad 3. D. Laudat usum lectionis usurpatum a quibusdam peritis, capacibus et bene dispositis, C. A quibuscumque, imperitis etiam et minus aut male dispositis, N. Ab Esdra autem, magno Doctore et a Timotheo, quem Christus ipse in Apocalypsi Angelum Ephesi vocavit, et Paulus adhuc adolescentem creavit Episcopum aut potius Archiepiscopum, collectio ad quemlibet de vulgo fieri sane non potest. Quin nec argumentum ab Eunicho Candacis ad cæteros omnes valet, utpote cuius maximas dotes S. Hieron. in ep. 103. ad Paulinum celebrat.

Inst. 1. Pleraque Evangelia et Epistolæ Canonice scripta sunt in lingua tunc vulgari, nempe græca: Item sunt scripta ad omnes promiscue fideles; unde epistola inscribuntur vel *Ecclesiis vel omnibus sanctis et fidelibus*, aut *duodecim tribubus*, aut *electis advenis*. Actus autem Apostolorum *Theophilo*, h. e. cuilibet amanti Deum. Demum aliquando jubentur prælegi omnibus, ut habeatur 1. ad Thes. 5. v. 17. *Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facile ut et in Laodicensium Ecclesia legatur;* et eam, *qua Laodicensium est, vos legatis.* Ergo omnibus concessa, usitata et præcepta fuit lectio Scripturæ.